

& potentissime, sapientissimeque gubernet *Ephes. I, 22. 23.* Non igitur præcise requiritur ad Ecclesiam, ut sub uno capite, Romano nimirum Pontifice, sit colligata. Unde in ipso *Catechismo Romano ad Art. 9. Symb. Qu. 2.* retinetur definitio Augustini in Psalm. 149. *quod Ecclesia sit populus fidelis, per universum orbem dispersus*, quæ quidem cum ea, quam supra ex Apologia dedimus, egregie convenit. Denique colligationem sub uno visibili capite non esse necessariam, pridem ostendit *Nilus Archiepiscopus Thessal.* ab initio libri *contra primatum Papæ, & ex Latinis Gvil. Occam* in peculiari Libro de *auferibilitate Papæ ab Ecclesia T. II. Monarch. Goldast. Conf. Hülsem. Praelect. in Form. Concord. pag. 749.*

§. VIII. Sufficit igitur ad Ecclesiam, si sit coetus, in quo recte docetur verbum Dei, & administrantur Sacramenta. Interim hic ipse coetus diversimode capitur in Scripturis. Aliquando enim sumitur pro coetu *vocatorum* promiscuo, ut in salutationibus Apostolicis, quando sub initium epistolarum, universam alloquuntur ecclesiam, e piis & impiis, sinceris, & hypocritis collectam. Aliquando autem sumitur pro coetu *Electorum*, non sensu quidem proprio, & *stricto*, prout electi sunt ii soli, qui in fide ad finem usque vitæ perseverant; sed *laxiore*, & amplo, ut intelligantur omnes vere credentes, ac sancti, seu de cetero in fide sint perseveraturi, vel non perseveraturi. Quo quidem considerandi modo Ecclesia exquisitis laudibus, ac titulis, evehitur in Scriptura, & salutatur, *grex Dei, Jes. XL, 11. Jo. X, 12. Luc. XII, 32. sponsa Domini Jes. LXII, 5. Jo. III, 29. Ap. XXII, 17. Corpus Domini Eph. IV, 15. V, 23. Col. I, 19.* Ecclesia *gloriosa*, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid tale, sed sancta & inculpata *Eph. V, 25.*

B

§. IX.